



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM** CONSTITUTIO APOSTOLICA **RUSSIAE**\* IN FOEDERATA CIVITATE RUSSIAE NUNTIATURA APOSTOLICA CONDITUR. Cum inter Apostolicam Sedem et Foederatae Civitatis Russiae Civile Gubernium publica officiorum vincula feliciter inita fuerint, ut ex his institutis mutuae necessitudinis rationes rerum ecclesiarum et civilium proferrentur incrementa, Nobis peropportuno visum est Nuntiaturam Apostolicam in eadem constituere. De communi igitur utriusque partis voto, summa Nostra potestate, harum Litterarum virtute in Foederata Civitate Russiae Nuntiaturam Apostolicam, cum sede in urbe Mosca, erigimus. Huius constitutae Nuntiaturae Apostolicae Pontificio Legato munera, iura et privilegia tribuimus quae, praeter pacta conventa cum Civili memorato Gubernio, huiusmodi muneris propria sunt ad normam canonum nn. 362-367 Codicis Iuris Canonici. Has denique Litteras, in forma Brevis maioris expeditas, nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Decembris, anno MMIX, Pontificatus Nostri quinto. De mandato Summi Pontificis* THARCISIUS card. BERTONE

*Secretarius*

---

*Status*

\*A.A.S., vol. CII (2010), n. 1, p. 7 © Copyright 2009 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana